

vere dicatur reprehensibilis, et sufficit. Alii vero moderni Petrum ab omni culpa excusant, etiam veniali, non solum in sententia Hieronymi, sed etiam sinceram litteræ expositionem sustinendo: quod late defendit Baron. in Annalib., anno Christi 51, et Vasq. 1. 2, disput. 182, cap. 7, et sub disjunctione Bellarmin., lib. 1 de summo Pont., cap. 28, dicens Petrum aut nihil peccasse, aut ad summum venialiter. Eadem disjunctione utitur Salmeron. 2 ad Galat., disput. 24, § *Excusabilis*.

24. *Duplex modus excusandi Petrum a peccato.*—*Excusatio qua aliqui Petrum excusant a peccato, etiam veniali, est pia et probabilis.*

— Est autem considerandum duobus modis posse Petrum excusari a culpa. Primo, excusando actionem ipsam secundum se, etiam ut hic et nunc factam cum talibus circumstantiis: secundo, excusando tantum ipsam personam. Actionem excusari dico, si ostendatur illam non esse malam, neque ex objecto, neque ex circumstantiis, etiamsi cum omnium consideratione fiat. Persona autem tantum excusatur quando, licet actio sit mala, vel de se, vel ex aliqua circumstantia, nihilominus operans per inadvertentiam illius circumstantiæ, quæ malam reddere posset actionem, excusatur. Auctores ergo citati excusant Petrum hoc posteriori modo, et est pius et probabilis; habet tamen difficilem probationem, quia pendet ex interno actu operantis, de quo neque ex verbis Pauli, nec ex alio signo exteriori nobis constare potest, sed solum præsumi, ex magna sanctitate personæ operantis, Petri. Ad quod etiam juvat optima ejus intentio, quæ a Paulo explicata est illis verbis, *Subtraheret se, timens eos qui ex circumcissione erant*: nam ille timor non erat humanus, seu mundanus; nihil enim mali Petrus a Judæis sibi timebat, quia nec rationem habebat illud timendi, nec propter illud mota fuisset constantia Petri, quæ comminationibus Phariseorum non movebatur, Act. 4 et 5; sed erat timor sanctus misericordiæ vel charitatis, quo formidabat ne Judæi qui a Jacobo advenerant, turbarentur; et, intentione vitandi hoc malum in illis hominibus qui speciali cura erant illi commissi, illis condescendit, verisimiliter tunc existimans id sibi licuisse. Quæ conjecturæ sunt quidem sufficientissimæ ad excusationem plus quam probabilem in tali persona culpæ gravis, præter aliam rationem extrinsecam confirmationis in gratia. Pro veniali autem culpa non ita convincunt, quia venialis culpa facile com-

mittitur per levem negligentiam, quando, in materia vel circumstantiis actionis, culpæ fundamentum invenitur. In quo non multum juvat ad probandam excusationem conditio personæ; nam quo sanctior et prudentior est, eo facilius potest et magis debet cum integra circumspectione operari: nihilominus tamen ex pia præsumptione, ut dixi, admitti potest. Neque obstat quod Petrus vere dicatur reprehensibilis, quia non dicitur reprehensibilis apud Deum, sed inter homines; et ad hoc satis est ut actio secundum se mala sit, vel malam circumstantiam habeat, quidquid sit de interna inconsideratione operantis, quam homines non vident.

25. *An actio Petri excusari possit.*—Tentandum autem est et videndum an illa actio Petri possit ab omni culpa secundum se excusari. Et imprimis suppono illam non fuisse malam ex objecto, sed vel bonam, vel indifferentem. Nam comedere cum his vel illis secundum se indifferens erat, et tunc id facere intuitu legis, et per modum ejusdem observantiæ in illo populo consuetæ, de se bonum erat, quia lex non erat mortifera, et consuetudo erat legi consentanea. Et hoc aperte fatetur Augustinus loco statim citando. Atque hinc sequitur, primo, simulationem illam Petri non fuisse formalem, id est, non habuisse malitiam mendacii. Hoc in superioribus generaliter probatum est, et patet breviter, quia illa subtractio Petri non est facta intentione fallendi aut decipiendi alios, ut per se constat, neque erat imposita ad aliquid significandum quod falsum esset; nec per se significabat legem veterem tunc obligare aut Judæos aut Gentiles, sed ad summum indicabat legem veterem esse bonam, et posse tunc servari. Quod si forte aliqui plus concepiebant, erat per accidens, ex facilitate ipsorum, unde non pertinebat ad deceptionem activam Petri, sed ad passivam ipsorum facile judicantium.

26. *In facto Petri non fuisse malitiam simulationis superstitiosæ.*—*Objectio.*—*Responsio.*—Secundo, sequitur in illo facto Petri non fuisse malitiam simulationis superstitiosæ. Probatur, quia hæc non est nisi ubi aliquid fit contra cultum Dei legitimum, ut constat ex late dictis in tom. 1 de Religione. At Petrus nihil fecit contra legitimum cultum Dei; nam observantia illa quam fecit, non erat vana, cum esset conformis legi, quæ nondum erat prohibita; ergo nec species aliqua superstitionis in ea fuit. Dicere autem potest aliquis quod, licet in illa separatione non esset di-

recta superstitio, ut convincit argumentum factum, fuisse nihilominus indirecte, quatenus inducebat Gentiles ad aliquid quod in eis superstitiosum fuisset. Sed hoc spectat ad malitiam scandali, de qua statim dicetur, et generaliter etiam satis controversum est in qua specie constituenda sit, quando non est directe intenta. In præsentem autem non apparet ulla ratio indirectæ superstitionis per modum cooperationis, seu inductionis. Nam illo exemplo Petri non inducebantur Gentiles ad aliquam superstitionem faciendam, quia solum inducebantur ex vi illius exempli ad separandum se a Judæis, sicut Judæi separabantur ab ipsis, quia per aliquod factum non solet homo induci nisi ad simile factum. In tali autem separatione nulla esset superstitio ex parte gentium; tum quia ipsi Gentiles non se separabant a Judæis, sed potius patiebantur (ut sic dicam) et sustinebant separationem Judæorum ab ipsis, in quo nihil superstitiosum agebant; tum etiam quia, licet Gentiles sponte vellent se a Judæis in cibis et manducatione separari, non fuissent superstitiosi, vel quia sine superstitione potuissent tunc legalia servari, seclusa falsa existimatione necessitatis, ut est probabile, etiam juxta Augustini sententiam, ut supra visum est; vel quia juxta doctrinam D. Thom. 1. 2, q. 101, artic. 4, illæ observantiæ non continebant ipsum cultum Dei, sed erant ad distinctionem cultorum Dei; et ideo si ex parte Judæorum non erat superstitio separari a gentibus jam conversis ad Deum, quia licet jam essent cultores Dei, non tantum modo proprio et peculiari Judæorum; etiam ex parte gentium non esset superstitio nolle edere cum Judæis, ne illorum peculiarem cultum amplecti viderentur.

27. *Quid de scandalo dicendum.*—Tertio, hinc apparet difficile tribuere illi actioni Petri aliquam aliam malitiam: nam, si quæ esset, maxime scandali; hæc autem non facile ostendi potest. Major videtur imprimis sumi ex reprehensione Pauli, qui solum arguit Petrum quod gentes cogeret judaizare, quæ coactio non erat propria per vim aliquam vel metum, nec per præceptum aliquod vel obligationem, sed per exemplum aliquod vel imitationem, quæ non nisi malitiam scandali habere potest. Deinde hoc fatetur August. in Epistol. 19 ad Hieronym., ubi ait Petrum et Paulum, in servandis legalibus, solum in hoc discerni, quod Paulus semper id egit sine scandalo Gentilium, id est, non cogendo illos ad similem

observantiam, Petrus autem in illo loco incaute judaizavit, dando scandalum Gentilibus, cogendo utique illos ad judaizandum. Et eandem rationem scandali tribuit Petri facto Rup., lib. 1 de Consil., cap. 14, et ab illo excusat Paulum in circumcissione Timothei, et aliis cæremoniis judaicis quas aliquando exercevit. Probatur ergo minor inquirendo quale sit hoc scandalum; aut enim est scandalum pravi operis, vel falsi erroris; neutrum autem esse videtur; ergo. Probatur prima pars minoris, quia (ut dicebam) illa coactio tantum erat inductio ad similem separationem, quæ non erat prava. Neque etiam potest dici prava ratione coactionis, quia illa coactio non erat propria, ut includit involuntariam vim, sed erat per voluntarium consensum. Unde, etiamsi dicatur Petrum suo exemplo induxisse Gentiles ad sumendam circumcissionem et alias cæremonas legis, ne Petrus cum aliis Judæis se ab illis separaret, etiam hæc inductio non esset scandalum pravi operis, quia tunc non erat pravum, seu prohibitum Gentilibus circumcisci, si sponte sua vellent, ut diximus ex probabili sententia, et consentanea Augustino.

28. *Objectio.*—*Responsio.*—Dicetur fortasse Petrum non induxisse Gentiles tantum ad judaizandum spontaneæ, sed etiam quasi ex necessitate et obligatione; hoc autem modo perniciosum fuisse gentibus judaizare, imo ibi includi scandalum erroris aut pravæ doctrinæ; nam exemplo et auctoritate Petri inducebantur gentes ad credendum se teneri ad judaizandum, et, quod amplius est, etiam Judæi qui, ex simili apprehensione, a gentibus separabantur, exemplo Petri in suo errore confirmabantur. Et hoc modo videtur exponere illud scandalum Augustinus in sua Epistola; et habet fundamentum in Paulo, qui non alia ratione videtur illam vocare coactionem, nisi quia inducebat sub specie necessitatis et obligationis. At si tale erat scandalum, profecto erat ex suo genere grave peccatum, nisi inconsideratio excusaret. Hoc autem difficile creditu est. Nam, ut supra dicebam, etiam cum Paulus observabat legalia, Judæi sumebant occasionem existimandi illa fuisse tunc necessaria ad salutem, et tamen non propterea tribuitur Paulo talis error vel deceptio, quia ex facto ejus id non colligebatur, cum posset legalia servare absque necessitate, propter honestatem, vel alias causas. Et ita, respectu Pauli, illa deceptio erat potius permessa quam facta. Ergo simili modo in præsentem, quamvis

fortasse Gentiles vel Judæi illam opinionem conciperent, non potest talis deceptio Petro attribui, quia de ejus facto colligi cum fundamento non poterat: nam tunc Petrus servavit legalia, quia Judæus erat et sibi erant permissa; ergo, quantum erat de se, non inducebat gentes ut existimarent sibi esse necessarium servare legalia. Unde si ipsi inde sumebant occasionem hoc opinandi, erat occasio potius accepta quam data: erat ergo scandalum passivum potius quam activum: ergo de se nullum erat peccatum in Petro respectu Gentilium. Poterant enim facile intelligere Petrum id fecisse, ut condescenderet Judæis, quia hoc ei licebat, et, per se loquendo, liberum illi erat vel conversari cum gentibus, vel separari juxta legem. Neque etiam respectu Judæorum putabat Petrus occasionem scandalii, quia etiam non erat causa deceptionis illorum, sed permittebat illam ad vitandum majus malum, quod eis timebat.

29. *Probabilis modus excusandi Petrum ab omni peccato.* — Concluditur Petrum nullo modo peccasse. — Hoc ergo modo videtur posse non improbabiliter defendi factum illud Petri nullo modo fuisse peccaminosum, non solum ob naturalem inconsiderationem, sed etiam quia, omnibus circumstantiis pensatis, prudenter judicare potuit, se in eo facto non dare scandalum activum; et, si quod erat passivum, se non obligari ad vitandum illud, quia major tunc erat necessitas Judæorum, graviusque putabat esse nocumentum quod eis imminerebat. In quo errare quidem potuit Petrus, errore tamen facti, non juris, et sine periculo culpæ, non solum quia probabilibus conjecturis ducebatur, sed etiam quia electio non inter licitum et illicitum, sed inter expediens et non expediens fiebat: multa enim licent quæ non expediunt, teste Paulo 1 Corinth. 6. Unde, licet erretur circa licitum et non expediens, non erit culpa, sed impedimentum majoris boni, ut ibi notat D. Thom. Hunc ergo defectum in Petro negare non possumus, et ille sufficit ut vere Paulus dixerit illum esse reprehensibilem, et merito restiterit. Quia revera ad conversionem gentium et instructionem Judæorum, et ad puriorem libertatis Evangelii prædicationem magis expediebat non separari a gentibus, et Judæos instruere. Et alioqui Petrus, ratione officii, debuerat tunc eligere quod maxime expediebat. Et nisi Paulus occurreret, majus commune bonum Ecclesiæ impeditum fuisset; hoc ergo titulo fuit vera, prudens, ac necessaria ejus

reprehensio. Et hoc etiam satis est ut Paulus dicere potuerit Petro: *Cur gentes cogis judaizare?* quia, licet non daret scandalum activum, non tollebat passivum, quando, non solum licite, sed etiam perfectius et constantius operando, id facere potuisset. Hoc ergo modo potest recte intelligi illa dissensio pacifica et sancta, ut dixit Philo, sine culpa Petri, et sine elatione vel temeritate Pauli, cessantque calumniæ antiquorum infidelium et novorum hæreticorum, quibus nunc respondere non est necesse, quia et doctores allegati id sufficienter præstant, et res est per se satis clara.

CAPUT XXI.

QUANDO LEX VETUS CŒPERIT ESSE INUTILIS QUOAD EFFECTUS SUOS.

1. *Circa tempus quo lex illa cœperit esse inutilis.* — *Triplex utilitas in illa lege consideranda.* — Tria in illa lege in superioribus distinximus: unum est institutio talis congregationis cum omnibus pertinentibus ad divinum cultum et ad reipublicæ gubernationem; aliud est obligatio legis; tertium est utilitas seu effectus legis. Et de primo ac secundo explicuimus quando et quomodo cessaverint; superest ergo ut de tertio pauca dicamus. Nam, licet ex dictis aperte sequatur legem illam jam perdidisse omnem utilitatem, quia est prorsus abrogata et evacuata, lex autem ablata nullam efficaciam legis habere potest, nihilominus circa tempus in quo lex illa inutilis esse cœpit, aliquid superest explicandum. Seclusa autem institutione et obligatione, triplex efficacia seu utilitas in lege illa considerari potest. Prima est efficacia in pœnis imponendis et irritandis contractibus. Secunda est vis permitendi, dispensando in aliquibus rebus pertinentibus ad naturalem legem. Tertia est nonnulla utilitas ad justificationes legales, aut ad justitiam coram Deo, vel ex opere operantis, vel ultra illud.

2. *Lex illa non amisit vim suam coactivam et punitivam in morte Christi, nec ante diem Pentecostes.* — Primo ergo, ut a clarioribus incipiamus, consequenter ad superius definita, dicendum est legem illam non amisisse vim suam coactivam et punitivam in morte Christi, nec ante diem Pentecostes. Probatur primo, quia præcepta pœnalia illius legis non fuerunt eo tempore mortua quoad vim directivam obligandi in conscientia, ut supra ostensum est; ergo nec quoad vim coactivam, per quam inducebant reatum pœnæ in lege taxatæ contra

transgressores. Probatur consequentia, quia vis directiva ejusque obligatio est principale quid in lege, pœna vero est accessorium: ergo durante principali, durat accessorium, nisi aliunde constet directe et specialiter ablatum esse seu remissum ab eo qui legem tulit, vel alias breviorum terminum esse positum in lege circa impositionem pœnæ, quam obligationis: neutrum autem in præsentem invenitur, neque cum fundamento fingi potest. Declaratur præterea, quia vel talis pœna fiebat per ipsammet legem vel erat per judicem imponenda. Prior fieri potuit per ipsam legem, quamdiu abrogata non fuit, propter rationem factam et quia non est major ratio de obligatione ad culpam quam de hoc effectu. Posterior autem pœna inducebatur per legem pro eo tempore, quoad reatum seu debitum: eadem autem ratione poterat executioni mandari per magistratus illius populi, per se et quantum erat ex vi illius legis, quia non amiserant jurisdictionem suam, nec illa respublica statum mutaverat, ut ostensum est. Retinuit ergo illa lex suam vim coactivam toto illo tempore.

3. *Duo inferuntur.* — *Primo, quamdiu illa præcepta vim habebant.* — *Secundo, præceptis cessantibus quoad obligationem, cessabant quoad alios effectus pœnales et irritandi.* — Ex quo licet duo inferre: unum est, præcepta illius legis irritantia quædam matrimonia vel aliquos contractus, irritasse illos etiam post mortem Christi, si in gradibus in lege prohibitis, vel cum aliis similibus impedimentis fierent, quamdiu illa lex, quoad obligationem, abrogata non fuit. Ratio est, quia quamdiu habuerunt vim ad obligandum vel prohibendum, habuerunt etiam vim ad irritandum, quia non est major ratio de uno quam de altero, ut dictum est. Aliud corollarium est, quamprimum illa præcepta cessarunt quoad obligationem, cessasse etiam quoad omnes effectus pœnales et irritandi. Probatur ratione proportionali, quia etiam in hoc est eadem ratio utriusque effectus. Item tales leges, ut pœnales vel irritantes, sunt positivæ et judiciales; sed, abrogata illa lege, omnia præcepta judicialia abrogata sunt: ergo etiam illæ leges ut pœnales et irritantes abrogatæ sunt, ac subinde amiserunt vim efficiendi tales effectus. Denique de effectu pœnæ est res clara, quia cessante vi directiva, cessat etiam coactiva: et præsertim in illis legibus pœnalibus quæ erant mixtæ; et ideo cessante principali, scilicet, obligatione ad talem actum vel omissionem, cessat etiam accessorium, quod est pœna. Quin

potius, licet actio, ob quam pœna imponebatur per talem legem, esset de se mala et jure naturæ prohibita, nihilominus jam cessasset illa pœna, vel quia, licet in tali actu esset prohibitio naturalis, cessat prohibitio illius legis, etiam in conscientia, cui proxime adjungebatur pœna, vel quia, licet daremus legem illam solum addidisse pœnam obligationi naturali, nihilominus illa additio erat positiva et judicialis, et ideo, abrogatis illis legibus quoad obligationem positivam in conscientia, etiam abrogantur quoad obligationem sub reatu talis pœnæ, ut recte sensit Castro, lib. 1 de Leg. pœnal., c. ult. Idemque est cum proportione de promissionibus specialibus illius legis; fiebant enim operibus illius legis, ut erant illius impletiva, et per modum pacti mutui, et ideo cessante obligatione ex parte unius extremi, cessavit ex parte alterius. Item idem est cum proportione de effectu irritandi; nam irritatio, si additur prohibitioni naturali, est veluti quædam pœna, et in ea procedit ratio facta; si vero sit addita prohibitioni positivæ ejusdem legis, intrinsece supponit illam, et ab illa pendet, ideoque illa cessante necessario cessat.

4. *Dubitatio.* — *Responsio.* — Quæri vero consequenter potest, quando lex illa amiserit virtutem quoad hos effectus, an, scilicet, in initio promulgationis Evangelii, et per successionem et augmentum illius, vel solum post consummatam promulgationem Evangelii. Respondeo, consequenter ad dicta, distinguendum esse inter præcepta cærimonialia et judicialia; et de cærimonialibus dicendum est a die Pentecostes incœpisse amittere hanc efficaciam, et successu temporis illam omnino amisisse quoad locorum extensionem, sicut diximus legem illam mortuam fuisse: nam quoad hunc effectum eadem est proportio, ut rationes factæ probant; at vero quoad præcepta judicialia non cœpit illa lex amittere hanc efficaciam donec synagoga extincta est post consummatam Evangelii promulgationem. Quia (ut supra dixi), quamdiu respublica Judæorum statum suum retinuit, et cærimoniiis suis jure usa est, judicialia præcepta non amiserunt vim obligandi; ergo nec puniendi vel irritandi, etc., nam in hoc etiam eadem servatur proportio. Promulgato autem Evangelio, quando lex illa cœpit esse mortifera quoad cærimonialia, cœpit etiam esse mortua quoad judicialia, et consequenter cœpit etiam esse inutilis ad prædictos effectus, ut rationes factæ probant.